



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 31. Martyrium Sanctæ Symphorosæ, & Filiorum ejus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

lum alterum, quem ultimum mundi Creatorem, & Legis Auctorem faciebat. Christum asserebat esse Filium boni Dei, ipsum autem non vere fuisse natum, aut passum. Solam animæ resurrectionem, & non carnis admittebat; solum Evangelium S. Lucæ, nec istud integrum recipiebat.

Sæculum II.
A. C. 134.

§. XXXI.

S. Symphorosæ Martyrium.

Imperator Hadrianus Tibure in Romæ vicinia domum campestem, seu verius Palatium, Regia opulentia dignum ædificavit, quo omnia, quæcunque in Provinciis rara, vel arte præcipua essent, congeffit. Cum ædificium consummasset, illud cæremoniis, apud Gentiles usitatis, voluit consecrare; & primo sacrificia obtulit, ut oracula Idolorum eliceret; responderunt Dæmones in hunc modum: *Vidua Symphorosa cum septem filiis singulis diebus nos cruciat, dum invocat Deum suum, si ipsa cum filiis suis sacrificet, spondemus, omnia, quæ petieris, concedere.* Hadrianus, comprehendi jussam, cum filiis primo accessu leniter hortatur, ut sacrificet; cui Symphorosa: *Maritus meus Getulius, & frater ejus Amantius, cum essent tui Tribuni, tormenta pati pro Jesu Christi nomine ma-*

*Acta Mart.
Sincera. p. 18*

Martyr. 10.

Fun.

Gg 3

lue-

Sæculum II.
A. C. 134.

luerunt, quam Idolis sacrificare, & morte sua Dæmones tuos superarunt; occidi potuerunt, vinci non potuerunt. Supplicium quo affecti sunt, eis quidem coram hominibus ignominiam, coram Angelis vero gloriam peperit, jamque in cælo vita æterna fruuntur.

Tum Imperator ad Symphorosam: *Aut Diis omnipotentibus cum filiis tuis sacrificas, aut ego te ipsam cum filiis in Sacrificium offerri jubebo. Symphorosa: Dii tui non possunt me accipere in Sacrificium, sed si pro Nomine Jesu Christi Dei mei concremata fuero, flammæ, & cruciatus Dæmonum tuorum acerbiores reddam. Imperator: Aut tibi sacrificandum Diis meis, aut misere pereundum. Elige!* Symphorosa: *Falleris, si me timore posse mutari credis; cum marito meo, quem pro Nomine Jesu Christi interfecisti, quiescere desidero.* Sic locutam Hadrianus ad templum Herculis duci jubet, ubi colaphis cæsa, & capillis suspensa est; tandem in sancta confessione constans, appenso ad collum saxo in fluvium projici jubetur. Hujus corpus frater ejus Eugenius, vir inter Tiburtinos Senatorii ordinis, tulit, & prope urbem sepelivit.

Altera die Imperator septem ejus filios simul omnes, ante conspectum adduci jussos, ad sacrificandum hortabatur, sed

sed frustra, videns igitur quod minis nihil proficeret, septem palos circum Herculis templum poni jubet, eosque trochleis distentos alligari, ubi vario mortis genere perempti sunt; Primo, nomine Crescenti, guttur, secundo Juliano pectus, tertio Nemefio cor transfixum est. Tres sequentes Primitivus, Justinus, & Staeteus diversis corporis partibus transverberati. Septimus Eugenius a capite ad umbilicum usque diffusus. Sequenti die Imperator ad templum Herculis venit, ejusque jussu eorum corpora deposita, & in præaltam fossam conjecta. Pontifices Gentilium hunc locum deinde septem *Biothanates* dixerunt, quod græce, voce Magis familiari, mortuos significat morte violenta, & speciatim ultimo supplicio affectos. Persecutione deinde per octodecim menses remittente, debitus honor Martyribus redditus, eorumque corpora sollicite in via Tiburtina octo ab urbe milliaribus sepulta. Hodiedum Ecclesiæ, ad eorum memoriam exstructæ, rudera videntur, in loco, septem fratres, nominato.

Sæculum II.
A. C. 134.

*Tertull. de
an. c. 57.*

*Martyr.
Rom. Usuar-
di Ado
21. Jun.*

*Roma Soter.
lib. 4. c. 17.*

§. XXXII.

Mors Hadriani. Antoninus Imperator.

Imperator Hadrianus in filium adoptaverat Lucium Cejonium Commodum

G g 4

Verum,